



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Eduardus M. 18. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

18.Mart. VITÆ SANCTORVM. 147
vatur divitiis, sed levatur. Divitiarum servus, non do-
minus est avarus: at misericors tot servos habet, quæ
nummos. S.Pet.Chryf.ferm.4..

S. EDUARDUS M. 18.Martii.

Sustulerat Edgarus Angliae Rex binos filios: ex Elfedâ, lectissimâ matronâ, EDWARDVM nostrum: ex Elfridâ improbissimâ muliere, Ethelredum. Illi utpote natu majori regnum Edgarus, & quæ major regno hereditas est, virtutem reliquit. Non hanc, sed illud invidit noverca improba, &, quò purpuram Ethelredo suo pingeret, sanguinem statuit EDWARDI fundere; quin si fieri aliter jam non posset, cum diademate caput auferre. Commodum impiis consiliis accidit, ut quarto regni sui anno illic venaretur EDWARDVS, ubi pessima fera noverca stabulabatur. Nimirum hæc venatori laqueos ponit. rogat tectis hospes filius succedat. Abnuentem, haustum certè è manibus parentis accipiat, obtestatur. Heu! ut nunquam magis odit noverca, quam dum amat! Dum bibt, subornatus ad scelus servulus, cultro necem domino fert, vi-
numque sanguine miscuit; corpus exanime in proximâ casâ occultatum: sed scelus Elfridæ una-
que virtutem EDWARDI prodidit etiam in nocte lux insolita, casam omnem illustrans, lucemque adeò mulierculæ inhabitantis oculis ferens, quam nunquam priùs videre. Iterum in paludes abje-
ctum cælum ostendit indice columnâ igneâ. Ergo extractum omniisque honore tumulatum Martyris corpus fontem prope dedit, ex quo passim sanitatem ægri bibebant. Noverca etiam veniam ora-
tura illuc contendit, sed neque eques; neque per-
des progredi unquam potuit, semper vi, nescio

G 2

quâ,

quâ, arcanâ repulsa. Dixisses neque supplici novercæ jam manes fidere. *Ex Surio.*

Plantare pacem radicitus, Dei est: evellere penitus inimici. Nam sicut amor Fraternitatis ex Deo est; ita odium ex Diabolo: quapropter damnanda sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem suum, homicida est. S. Pet. Chrys. serm. 53.

S. JOSEPHUS SPONSUS B. M. V.

19. Martii.

Compendium laudum JOSEPHI dedero, si convixisse JESV & MARIAE dixerim; huic Sponsum integerimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraq; VII. fuisse binis è D. Francisci coetu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinavit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam MARIAM intellexerat: tum deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles; sed longè demulxit suavius nomen, quod ipse indidit, dulcissimum. Jam vaticinia Simeonis, quæ Servatorem puerum; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum, quæ DEVUM loquebantur, & Angelus, qui in patriam exules revocabat, aliis atque aliis gaudiis cumularunt. Illud demum delitius inundavit, cum quod charissimum habuit pignus, amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa dolorum fuere: tristis primò, quem à VIRGINE parabat, secessus; tum pauperes cunæ, & prima, quæ imbribus prælusit, sanguinis pluvia; mox gladius Simeonis, cor Sponsæ non nisi per præcordia Sponsi petiturus; post fuga præpropera & Archelai tyrannis; demum amissa in uno Puerο omnia bona;